

sic culpa præcessit casum. Et si sit gravis culpa, ut si posuit puerum in medio utriusque, secundum arbitrium Penitentiarum imponitur Penitentia V. vel VII. an. 50. *dist.* Si qua femina, & *cap. seq.* & c. Si quis sponte: occulta, si sit occultum, publica, si sit publicum, & major si in lecto suffocetur, quam si in cunis, & major Presbytero Græco, quam Latino, ut habetur *De Penit.* Quæsitum: & licet dispensetur quoad Penitentiam, quæ est arbitraria, ut dicitur *ibid.* non tamen quoad Ordines propter homicidium, quod est delictum enorme, & indispensabile; *dist.* 50. Miror: Si autem culpa, quæ præcessit casum, sit levis ut si posuit puerum in eodem lecto longe tamen à se, imponitur penitentia 3. ann. Secundum hoc intellige *illud cap. de infantibus, de his, qui filios occiderunt;* Monendi ergo sunt parentes, quod tam tenellos secum in uno non collocent lecto, ne quilibet negligentia interveniente opprimantur, & suffocentur, ut 2. *quest.* 5. Consultuisti: Et hoc modo distinguit *Host. Ber. cap.* de infant. *de his, qui filios occiderunt.* Quid de illis, qui filios, vel servos suos infantes, vel etiam adultos languidos relegata pietate exponunt? id est, extra se ponunt ante Ecclesias, ut aliqui moti misericordia colligant eos? Resp. Tales graviter peccant, quia cum ignorent sæpe consanguinitas expositorum, contrahere possent Matrimonium cum sorore, vel consanguinea, ideo exponens tenetur de hoc peccato penitere, & est puniendus, sicut expositus, si scienter cum tali contraheret, puniretur; *De penit. Officium secundum Host.* Talis enim secundum Rayn. est tamquam homicida iudicandus, qui hominem sibi ita conjunctum periculo mortis exponit. Consideratis tamen circumstantiis, & utrum ob hoc mortis secuta fuerit, vel non fuerit, Penitentia moderanda erit. Erunt tales irregulares secundum Rayn. si mors inde sit secuta, quia scilicet fuerunt in culpa: eos exponendo, vel alimenta negando; tamen secundum Rayn. si in nulla culpa fuissent, quia forte nec elemosynas querendo, nec aliter eos alere possent, irregulares non essent, nec peccarent.

Decimus octavus est, quod qui Presbyterum interfecit, peniteat XII. ann. *De Penit. rem. cap. 2.* De Penitentia vero ejus, qui occidit Monachum, vel Clericum, Subdiaconum, vel Diaconum, habetur 17. *quest.* 4. *Qui occiderit.* De penitentia autem ejus, qui machinatur in mortem Domini sui, vel in regem ejus habetur 23. *quest. ultim. cap.* Si quis.

Decimus nonus est, quod qui injuste alium ad mortem accusat, 40. diebus in pane, & aqua per VII. ann. jejunit, & hoc si accusatus sit occisus. Si autem tantum membrum perdidit, triennio peniteat, *de accus. Accusasti.* Host. vero, & Joan. de Deo in jejunando intellexerunt, quod primus peniteat per VII. ann. quolibet anno jejunando 40. diebus in pane, & aqua, secundus vero per tres ann. G. vero Durant, intellexit, prout litera magis sonat, scilicet, quod primus jejunabit 40. diebus in pane, & aqua, sive continue, sive interpolate, & per VII. ann. jejunabit, & penitebit, non tamen in pane, & aqua, sed ad arbitrium Presbyteri; secundus vero per tres Quadragesimas, prima ante Natalem Domini, secunda ante Pascha, tertia ante S. Joannem, has enim instituit B. Petrus, ut habetur in Chronicis. Jejunabit autem tunc in pane, & aqua; probantur hæc secundum Host. 22. *quest.* 5. c. 1. 2. & 3.

Vigesimus est, quod perjurus 40. diebus in pane, & aqua jejunit, & VII. ann. seq. peniteat & semper debet esse in penitentia, scilicet interiori; 6. q. 1. Quicumque.

Vigesimus primus est, quod qui compulsus conditionaliter à domino scienter pejerat, si liber sit 40. diebus in pane, & aqua, & hoc secundum Gl.

intellige vel continue, vel interpolate, peniteat VII. ann. seq. non tamen in pane, & aqua, ut dicit Gl. Si vero servus sit ejus, qui eum coegerit, tribus Quadragesimis, & legitimis feriis scilicet 2. 4. & 6. 22. q. 5. Qui compulsus.

Vigesimus secundus est, quod qui pejerat in manu Episcopi, vel in cruce consecrata, peniteat 3. ann. Si vero in cruce non consecrata, uno anno. Qui vero coactus, & ignorans ignorantia juris, & postea cognoscit, peniteat tribus Quadragesimis; 22. *quest.* 5. c. 2. Qui vero coactus pro vita redimenda, vel qualibet causa, vel necessitate pejerat (quia corpus plusquam animam dilexit) tribus Quadragesimis peniteat, *ead. quest.* 5. cap. Si quis coactus: Alii inducunt 3. ann. & unum ex his in pane, & aqua.

Vigesimus tertius est, quod qui falsum scienter jurat, vel alium jurare cogit, diebus 40. peniteat in pane, & aqua, & VII. seq. annis nunquam sit sine Penitentia, scilicet interiori. Alii etiam si consilii fuerint, similiter peniteant; 22. *quest.* 5. Si quis convictus.

Vigesimus quartus est, quod qui mensurat in falsa mensura, 30. diebus in pane, & aqua jejunit. *De contrab. emp. Ut mensura.* De pena vero falsarii literarum habetur *extr. cap. Ad audientiam, cap. Ad falsarium, & de verb. sign. Novimus.*

Vigesimus quintus est, quod qui frangunt penitentiam solemnem, sive redeundo ad crimina priora, vel similia, sive redeundo ad negotiationem, vel militiam secularem, quæ sibi fuerint interdita, sola inter Ecclesiam fidelibus oratione junguntur, à communione suspenduntur, à Catholicorum conviviis separantur, & penitere debent X. ann. & communient in fine; 33. *quest.* 2. De his vero, & *de penit. dist.* 5. Si quis vero.

Vigesimus sextus est, quod qui canit missam, & non communicat, debet uno anno penitere, & inter missas non cantare. *De constit. dist.* 2. Redatum.

Vigesimus septimus est, quod Presbyter, qui mortuum Clericum involvit in palla altaris, peniteat X. annis, & mensibus V. Diaconum vero triennio, & dimidio. *De cons. d. 1.* Nemo per ignorantiam.

Vigesimus octavus est, quod qui committit sacrilegium Ecclesiam violando, vel chrismata, sive calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel similia sacrilegia committit, peniteat VII. annis. Primo anno extra cæmeterium, quod violavit, consistat. Secundo anno ante fores Ecclesie; tertio in Ecclesia; & in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, nisi in Pascha, vel Natali, non offerat, nec communionem accipiat; quarto anno communicabit, & illo, & in V. & VI. & in VII. tribus feriis à carnibus, & vino absteinet jejunando; 12. *quest.* 2. *De viro.* Comburens autem Ecclesiam, XV. annis peniteat, & eam restituat; 17. *quest.* 4. *cap.* Si quis: De pena vero raptoris, sive furis rei ecclesiasticæ, & de pena furis, & effraCTORIS tam Clerici, quam Laici, habetur *cap. Pecunia, & cap.* Si quis Clericus *ead. caus. 17. quest.* 4.

Vigesimus nonus est, quod si parentes frangunt sponsalia filiorum, à communione triennio separantur, & similiter filii, si sint in culpa. Si tamen filioscundum promissionem factam contraxerint, excusantur utique, scilicet, quoad penam Ecclesie, sed non quoad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium; 31. *quest.* 3. Si quis parentes, *arg. de penit. d. 1.* Si cui.

Vigesimus est, quod qui blasphemaverit publice Deum, vel aliquem Sanctorum, & maxime Beatissimam Virginem Mariam, illi debet Episcopus hanc penitentiam injungere, scilicet ut VII. diebus Dominicis præ foribus Ecclesie in manifesto, dum missa cantatur, existat, & ultimo illorum dierum Domini-

mi-

minicorum pallium, & calcamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & septem præcedentibus sextis feriis in pane, & aqua jejunit, Ecclesiam nullatenus ingressurus; & quolibet prædictorum dierum tres pauperes, vel saltem unum reficiat, si potest, & si non potest, hæc pena in aliam commutetur: quod si renuerit agere omnia supradicta, interdicitur sibi Ecclesia, & in morte privetur ecclesiastica sepultura. *De maled.* Statuimus: Item blasphemus si dives fuerit 40. alioquin 30. vel 20. & si ad hoc non sufficit, quinque solidorum usualis monetæ pena mulctetur, nullamque misericordiam in hoc habiturus, ut dicitur *ibidem*, scilicet quin solvat quinque solidos, quos si non habet, currat per civitatem, vel commutetur in penam aliam temporalem. Hæc autem pena solvetur ei, qui condemnatur, id est, Potestati seculari: Hanc enim penam temporalem præcipit Papa imponi per Potestatem temporalem; quod si neglexerit, per Episcopum præcipitur cogi. *Hæc Host.* Habet autem prædicta pena locum secundum Gof. cum quis blasphemat non ex ira, vel ebrietate, vel dementia, quia tunc cum eo mitius ageretur; 2. q. 3. Si quis iratus. Secundum vero Host. hæc pena est specialiter inducta contra eos, qui Deum blasphemant ex ira; Non enim aliquis de leve blasphemat Deum nisi iratus. Tanta tamen posset esse iracundia, quod æquiparetur dementia, & tunc illud, quod dicit Gof. locum posse habere. *Hæc Host.*

Quod si quis juret per caput, vel per ventrem vel capillum; Resp. Host. quod si faciat hoc affirmando, vel jurando, non habet locum hæc pena: secus est si faciat hoc detestando, vel vituperando, licet iratus. Item secundum Gof. & Host. hæc, quæ dicuntur de pena temporali, sunt Judicis pro tribunali sedente. In Judicio autem animæ Presbyter discretus molendo rigorem dispensare poterit ex causa circa penam spirituales superiores; 26. q. 7. *Penitent. Hæc Host.* Item blasphemus Clericus, maxime Presbyter cogatur ad veniam postulandam: quod si noluerit degradetur; d. 46. *Cler.*

Notandum vero quod blasphemus secundum leges est decapitandus, ut in *Auth.* Ut non lux contra nat. circa med. coll. 6. Secundum vero canonem antiquum Clericus erat degradandus, & laicus excommunicandus; 22. q. 1. Si quis per capillum: Hodie vero laicus agere penitentiam supradictam, scilicet illius canonis Statuimus, & hoc si publice blasphemavit. Si enim occulte, non penitebit publice, ut puto: Clericus vero hodie est corrigendus pena arbitraria, & occulta, non illa, quæ est publica. Clericus enim publice non debet penitere. Si autem rebellis fuerit, vel sæpius hoc commiserit, locum habet pena legis, scilicet ut Laicus decapitetur in foro civili, & in canonico anathematizetur, id est, ingressus Ecclesie sibi interdicitur, & in morte privetur ecclesiastica sepultura. Clericus vero degradetur. *Hæc Host. tit. de maled.*

Trigesimus primus est de Presbytero, qui revelat Confessionem, quod de jure antiquo debet deponi, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinari. *Penit. dist.* 6. Sacerdos.

Trigesimus secundus est, quod qui in dicendis horis canonicis, & aliis officiis divinis discrepat à consuetudine propriæ Metropolitanæ Ecclesie VI. mensibus privatur communione, si hoc accidat ex contemptu; 12. *dist.* De his.

Trigesimus tertius est, quod Episcopus, qui ordinat sine justa causa Clericum invitum, aut reclamantem, vel penitus invitum, absolute suspenditur uno anno; 74. *dist.* Episcopus.

Trigesimus quartus est, quod Episcopus, qui correctionem de venditione ministeriorum dissimulat, 2. mensibus, Presbyter, 4. Diaconus, 3. Subdiaconus, & ceteri ad arbitrium Judicis penite-

re debent; 1. *quest.* 1. Quidquid invisibilis.

Trigesimus quintus est, quod sortilegus 40. diebus peniteat. *De sortil.* In tabulis.

Trigesimus sextus est, quod qui videt in astrolabio, peniteat 2. ann. *De sor.* Ex tuarum.

Trigesimus septimus est, de stilla Sanguinis altaris cadenti super terram, vel aliquid propter negligentiam Presbyteri, debet Presbyter penitere 40. diebus; si cecidit super palio altaris, peniteat 4. diebus; *de concil. dist.* 2. *cap.* Si per negligentiam.

Trigesimus octavus est, quod si aliquis vomit Eucharistiam propter ebrietatem, & voracitatem, si laicus, peniteat 40. diebus; si Clericus, vel Monachus, vel Presbyter, vel Diaconus peniteat 70. diebus; si Episcopus peniteat 90. diebus; & debet vomitura comburi, & juxta altare collocari. Si vero causa infirmitatis evoemerit, 7. diebus peniteat. *De concil. dist.* 2. Si per ebrietatem.

Trigesimus nonus est, quando mus corrodit, vel comedit Corpus Christi; de penitentia hujus casus. Vide *Cap. Qui bene 94. dist.* 2. *de consecrat.*

Quadragesimus est, quod qui domum, vel aream voluntarie succendit, sublata, vel incensa omnia restituat, & tres ann. peniteat. *De injur.* Si quis domum. Canon tamen dicit, quod si ex odio, vel injuria hoc fecerit, excommunicari debet, nec absolvi, donec satisfecerit, & juraverit, quod ignem de cetero non apponet. Imponitur autem sibi, ut Hierosolymam, vel in Hispaniam vadat in Dei servitio anno integro ibi moraturus. Si quis autem Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxaverit, damnatum restituat, & ab Officio Episcopali per annum absteineat; 22. q. 8. Pessimam: Hodie autem postquam sunt denunciati, non possunt nisi per Sedem Apostolicam absolvi; tract. *De sent. excom.* Tua nos. Immo text. loquitur de incendiariis indistincte postquam sunt publicati, & Ber. hoc idem dicit expresse, & Gratian. *ext. de sent. excom. in 6.* Quicumque: & Gof. licet Rom. contrarium dicat. Secundum autem leges qui in civitate data opera incendium fecerit, si sit humilis, subjicitur bestii; si sit in aliquo gradu, decapitatur, vel in insulam relegatur; *f. de incend. ruin. naufrag. l. fin.* Qui vero villis, ut villis, vel castris remissis, ibidem aedes positas combusserit, si hoc dolo fecerit, comburitur. Et hoc intelligendum com. Host. si sit humilis. Si autem hoc ex sua negligentia contigerit, resarciat damnatum, vel si minus idoneus sit, parum, vel leviter castigetur, & nomine ædium omne ædificium continetur, ut ibidem dicitur. *Qui ader.*

Quadragesimus primus est, quod qui dederit, vel acceperit communionem ab Hæretico, & nesciverit hoc esse prohibitum ab Ecclesia, si sit intelligit, peniteat uno anno, si autem scivit, & neglexit, peniteat X. ann. vel secundum quosdam 7. vel secundum alios 5. Qui vero permittit Hæreticum missam celebrare in Ecclesia Catholica per ignorantiam juris, peniteat 40. diebus; Si pro reverentia ejus, per annum peniteat. Si pro damnatione Ecclesie Catholice, & pro consuetudine Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut Hæreticus, si sit impunitus, alioquin peniteat X. ann. Si autem relicta Ecclesia ad Hæreticos transierit, & alios ad hoc induxerit, peniteat XII. ann. 3. extra Ecclesiam, 7. inter audientes, 2. extra Communionem, & sic XII. anno communionem, sive oblationem percipiat 24. q. 1. quis dederit.

Quadragesimus secundus est, quod patronus qui res Ecclesie dilapidat, uno anno peniteat, 16. q. 7. *cap. Filiis.*

Quadragesimus tertius est, quod qui domum suam magicis, & incantationibus lustrat, vel aliud facit, & qui ei hoc consuluit, annis V. peniteat 6. *quest.*

quest. 8. qui divinationes, &c. Non liceat. Quadragesimus quartus est, quod qui pacem cum proximo suo non facere jurat, anno suo poeniteat, & ad pacem redeat; 22. quest. 4. Qui Sacramento.

Quadragesimus quintus est, quod pro perjurio, adulterio, homicidio dantur pro Poenitentia regulariter 7. anni, & similiter pro fornicatione, licet non ita aspera poenitentia injungitur; 22. q. 1. Prædicandum, 33. q. 2. Hoc ipsum.

Quadragesimus sextus est, quod qui scienter rebaptizatur, 7. ann. poeniteat, & feria 4. 6. in pane, & aqua jejunando, tres quadragesimas faciat, & hoc si fecit pro hæresi introducenda. Si autem pro munditia, 1. pro salute corporis obtinenda, tradit. de Apost. cap. 2. tribus annis, poeniteat. De cons. dist. 4. Qui bis & talis qui bis baptizatur, vel confirmatur, fit de foro Ecclesie, & cogitur fieri irregularis; dist. 84. Dicitur est. De poena autem tallium habetur. De cons. dist. 4. Eos, cujus capituli sententiam præmittit gratia brevitas.

(Si agnosceret poenas à nostro jure hispano circa precedentes excessus voluerit Lector, ad verba hujus bibliothecæ se confugiat, eorum cuilibet respondentia.)

Quadragesimus septimus est, quod qui uxorem adulteram cognoscit, antequam poeniteat, 3. ann. poeniteat; cap. si quis 6. caus. 32. q. 1. Qui vero cognoscit eam poenitentem, ante poenitentiam peractam, poeniteat 2. ann. Cap. si quis 4. caus. 32. q. 1. Quomodo vero poenitentia injungenda sit mulieri partum alterius supponenti, vel etiam de non suo viro concipienti, habetur de Penit. & rem. Officii.

Ad regulasigitur prædictas inspiciendo potest studiosus indagator procedere ad poenitentias pro diversis criminibus secundum canones imponendas, & ex causa consideratis circumstantiis, ut dictum est supra, moderari poterit eas; & licet ab ipso omnes circumstantiæ sint diligenter attendendæ, principaliter tamen qualitates personæ, & præcipue utrum sit persona obnoxia alicui alio vinculo servitutis. Nam circa tales personas cavere debet pro posse Presbyter, ne talem poenitentiam eis imponat, per quam illis quibus sunt adstrictæ, præjudicium fiat, maxime circa conjugatos, unde si servus sit, & amore peccaverit obediens Domino suo in atrocioribus, est mitius puniendus; 22. q. 5. Qui compulsus: obedire tamen non tenebatur in talibus, 11. q. 3. Si Dominus: Si autem voluntarie peccaverit, corpore punietur, etiam acrius, quam alius, 24. q. 1. Qui contra pacem: Nec est servo injungenda peregrinatio, per quam Dominus ejus, qui non est in culpa, illius servitio defraudetur. De sent. excom. Relatum: Si vero liber sit, tota Poenitentia canonis, si potest facere, debet imponi, 26. q. 7. Sacerdos poenitentiam: sed ex causa poterit eam Presbyter moderari.

Considerandum etiam erit, utrum sit persona nova in Fide, quia novis in Fide minor debet etiam poenitentia imponi, de Penitent. & rem. Deus qui: Et similiter considerandæ erunt alia personarum circumstantiæ, de quibus ad præsens supersedeo gratia brevitas.

Sciendum autem, quod in foro poenitentiali dicuntur legitime ferie, 2. 4. & 6. Dist. 82. Presbyter, de cons. dist. 3. Jejunia: Aliqui tamen ut dicit Rom. pro secunda feria ponunt Sabbatum.

Insuper notandum est, quod si poenitentia in pane, & aqua imponatur non habenti panem, potest loco panis leguminibus, & pisciculis vesci, & etiam aliis, si necessitas illud requirit, de poenitent. & rem. Licet in text. & gl. aliis non licet.

Notandum etiam secundum Joan. Si poenitentia sit imposita à canone, liberatur quis à jejunio dan-

do detarium, vel legendo psalterium propria auctoritate. Innoc. vero dicit, quod jejunia necessaria, ut quatuor temporum, & hujusmodi non possunt redimi, nisi subitis rationabilibus causis, voluntaria vero redimi possunt etiam sine auctoritate Superioris.

Ad hoc etiam nota; quod ubi imponitur poenitentia aliquot annorum, sive Quadragesimarum, nec additur quomodo quis debeat poenitere, hoc relinquatur arbitrio Presbyteri, cum poenitentia sint arbitraria ut dictum est supra. Ipse enim Presbyter arbitratum eam per ferias legitimas faciendam, secundum can. 50. dist. De his Clericis, de hom. c. 2. & in multis aliis jur. & sic intelligitur illud De accus. Accusasti, & de spons. Dilectus, & similia. Explicant canones poenitentiales.

Subnequitur hic poenitentia solita imponi ob violatam Immunitatem ecclesiasticam, prout habetur ex variis decretis ejusdem Sacre Congr. collectis à D. Petro Andrea Riccio in sua synopsi verb. Poenitentia.

Quando Ecclesia violata non potest reitari vel quia extractus fuit occisus, vel quia Reus in Ecclesia ipsa fuit occisus, vel alio actu irrefragabili, in absoluteione à censuris imponitur pro poenitentia elemosyna faciendi Ecclesie violatæ convertenda vel in vas sacrum, vel in lampadem argenteam, vel in suppellectilem ad perpetuam rei memoriam. Sacra Congregatio Immunitatis. in Salernitana 28. Octobris 1628. lib. 1. Decret. Paul. pag. 110. in Rossanen. 26. Maii 1632. lib. 1. Decret. Paul. pag. 128. in Mutinen. 17. Januarii 1640. lib. 3. Decret. Paul. pag. 118. in Neapolitana 5. Martii 1641. d. lib. pag. 140. in Pinen. 16. Decemb. 1664. lib. Decret. Rocci pag. 607. in Vicana 16. Junii 1673. lib. 1. Decret. Alt. pag. 813. in Militen. 16. Febr. 1676. ibi pag. 1064. in Papien. 5. Mart. 1675. ibi pag. 1071. in Chelmen. in Polonia 29. Maii 1696. lib. 2. Decret. Vall. pag. 25.

Sic occidentes existentem in campanili Ecclesie absolvuntur, facta prius elemosyna Ecclesie violatæ. Eadem Sacra Congregatio Immunitatis. in Ferratana 3. Octobris 1673. lib. 1. Decret. Alrov. pag. 851.

In absoluteione à censuris, ob extractionem dolosam, imponitur salutaris poenitentia, sed non in enumerata pecunia, data jam reintegracione Ecclesie, & satisfacione partis. Eadem Sacra Congregatio Immunitatis. in Hydruntina 22. Octobris 1692. lib. Decret. Grimaldi pag. 213.

Prævia elemosyna Ecclesie spoliatæ in summa arbitrio Archiepiscopi, & præcepto de non accedendo saltem per quinque annos ad Terram Longobucis, Archiepiscopi arbitrio Milites Campaniæ absolvuntur publice præ foribus Ecclesie, impositis gravibus, & publicis poenitentibus. Eadem Sacra Congregatio Immunitatis. in Rossanen. 2. Octobris 1703. Decret. Vall. pag. 524.

Rex Catholicus pro reparatione Immunitatis Ecclesie S. Laurentii Excurialis violatæ per extractionem violentam Marchionis de Valensule elargitur intuitu omnium culpabilium ad hoc, ut possint obtinere absoluteionem à censuris incursis, elemosynam viginti quatuor mille Pæne da oro, ut dicitur, applicandam in confectioe Reliquiarum pro Reliquia Sancti Laurentii apponendi in dict. Ecclesia ad publicam, & perpetuam rei memoriam. Eadem Sacra Congregatio Immunitatis. in Tolotana 18. Febr. 1678. Alt. pag. 1533.

Ad placendum simpliciter Majestati Regis Catholici instantis apud Sanctissimum, quod Governator, & alii declarati excommunicati ob extractionem violentam mulieris ab Ecclesia, & deinde fustigatæ per civitatem, Sanctissimum permittit, ut possint absolvi, non adimpletis conditionibus, seu poenitentibus appositis in facultate eos absolvendi, nempe quod Gu-

Gubernator abstineret per unum mensem ab exercitio suorum officiorum, ut se gereret tamquam excommunicatum, ut solveret Ecclesie violatæ centum duplas, & alii aliam summam, solum quod ad poenam pecuniariam remisit ad arbitrium omnino Episcopi. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Placentina 20. Martii 1700. lib. 2. Decret. Vallem. pag. 275.

Aliquando Violatori Immunitatis ecclesiasticæ in absoluteione à censuris imponitur Poenitentia visitandi septem Ecclesias Urbis. Eadem Sac. Congregatio Immunitatis. in Beneventana 7. Maji 1630. lib. 2. Decret. Paul. pag. 39.

Aliquando imponitur poenitentia Governatori in absoluteione à Censuris habens tractum successivum ratione exempli. Eadem Sac. Congregatio Immunitatis. in Aprutina 9. Augusti 1639. l. 3. Decret. Paul. pag. 39.

Ministri, & Satellites Regiæ Audientie absolvuntur in forma publica, & impositis gravibus poenitentibus salutaribus ob extractionem. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Beneventana 13. Decemb. 1692. lib. 1. Decret. Vallem. part. 10. in Consent. 28. Maji 1695. d. l. p. 192. & alibi.

Attento accessu ad Urbem remittitur Censuratus Ordinario, ut absolvat impositis gravibus poenitentibus salutaribus. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Aversa 19. April. d. ann. & leg. p. 183. in Alben. 4. Maji 1700. lib. 2. Decret. Vall. pag. 285.

Prævio consensu partis, & obligatione de prestando mandatis Ecclesie, super restitutione extracti facti alteri Ecclesie, quam spoliatæ, impositis gravibus poenitentibus salutaribus, & præstia obligatione jurata de non amplius incurrendo in similia ob extractionem Confugiti factam ab Ecclesia parochiali, absolvitur potestas oppidi N. private, sed servata forma, alii vero in forma consueta, & publice. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Regiensi. 3. Septem. 1695. lib. 1. Decret. Vall. pag. 214.

Arbitrio Emin. Episcopi prævia erogatione elemosynæ Ecclesie spoliatæ in summa ab eodem Eminentissimo arbitranda, servata forma, & impositis gravibus poenitentibus salutaribus, absolvitur Governator ob extractionem. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Aversa 17. Maji 1695. lib. 1. Decret. Vall. pag. 191.

Prævia cautione quatenus possit dari per Oratorem, attenda ejus paupertate, sin minus prævia obligatione de restituendis damnis, absolvitur in forma consueta ob extractionem Confugiti ab Ecclesia, impositis gravibus poenitentibus salutaribus. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Sab. 16. Novemb. 1695. d. lib. pag. 157.

Injungitur Episcopo, qui vigore facultatis absolvetur Judicem censuratum ob violatam Immunitatem, cum Poenitentia salutari, ut removeat poenam privationis officii, uti improprietatem. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Balnear. 16. Decemb. 1630. l. 2. Decret. Paul. pag. 57.

Censurati ob attentatam extractionem ab Ecclesia absolvuntur, impositis gravibus poenitentibus salutaribus. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Minerbin. 26. Decemb. 1693. lib. 1. Decret. Vall. pag. 96. in Sustrina 20. Aug. 1695. dist. lib. pag. 210.

Batoncellus, & Socii Executores Curie Laicæ ob dolosam extractionem absolvuntur, impositis gravibus poenitentibus salutaribus. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Hydruntina 22. Octobris 1692. lib. Decret. Grim. pag. 213. in Spoletana 20. Febr. 1694. lib. 1. Decret. Vall. pag. 106. in Nucerna 22. Junii d. Ann. & lib. p. 170.

Officiales Regiæ Audientie Salerni absolvuntur arbitrio Episcopi in forma Ecclesie, impositis gravibus poenitentibus salutaribus ob carcerationem exempli. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Caputaquen. 24. Ferrar. Biblioth. Tom. VII.

Julii 1694. lib. 2. Decret. Vall. pag. 136.

Item Affliguati, & Executores Curie Laicæ, qui carceraverunt operarios ejusdem Parochi. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Thermen. 1. Martii 1695. ibi pag. 170. in Urb. 12. Decemb. 1693. d. lib. pag. 93. in Theanen. 4. Septemb. 1703. lib. 3. Decret. Vall. pag. 512. in Milit. 20. Febr. 1694. l. 1. Decret. Vall. pag. 106.

Notarius, qui scribendo processum cooperatus est ad carcerationem Sacerdotis factam de ordine Judicis Laici, absolvitur impositis gravibus poenitentibus salutaribus. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Hispania 24. Febr. 1694. d. l. pag. 107. in Egitanen. 23. Januar. 1694. ibi pag. 101.

In forma Ecclesie, impositis gravibus poenitentibus salutaribus, Executores Curie Laicæ ob tentatam carcerationem Cursoris Curie Episcop. absolvuntur. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Anglon. 19. Jul. 1695. d. l. pag. 203.

Satellites Regiæ Audientie ob vexationes Clericorum illatas absolvuntur in forma publica, impositis gravibus poenitentibus salutaribus. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Consentina 28. Maji 1695. l. 1. Decret. Vall. p. 192.

Ministri, & Officiales Curie Laicæ ob recognitionem corporis delicti, etsi ignoranter, ut asserunt, factam super Sacerdote occiso, absolvuntur impositis gravibus poenitentibus salutaribus. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Alatriana 13. Apr. 1696. d. l. pag. 182.

Birruarii percussus Religiosum absolvitur impositis gravibus & publicis poenitentibus salutaribus in forma Ecclesie arbitrio Episcopi, & adimpletis conditionibus expressis in literis sub die 23. Decemb. præteriti. Ead. Sac. Congregatio Immunitatis. in Brundusina 7. April. 1694. l. 1. Decret. Vall. pag. 115.

In casu necessitatis Presbyteri Graci Catholici possunt latinos absolvere, debent tamen uti forma absoluteionis in Concilio Generali Florentino præscripta. Benedict. XIV. tom. 1. constit. 57. incipiens. Et si Pastoralis, §. 5. Extra necessitatis casum prudentiæ, & arbitrio Ordinariorum relinquatur, ut Presbyteri Graci Albanenses Latinorum etiam Confessiones excipere valeant. Idem ibid. Sacerdotes Graci conjugati possunt & curam suscipere Parochiarum, & Parochianorum suorum confessiones audire. Idem ibi.

In poenitentia Sacramenti administratione damnatur, & prohibetur sub gravissimis poenis perversa praxis introducta exquirendi à poenitentibus complicum nomina, & denegandi absoluteionem nisi illa manifestent. Idem tom. 2. constit. 8. incip. Ubi primum: Vide tom. 2. verb. Confessarius, & verb. Complex.

## APPENDIX,

## Sive Novus de Poenitentia.

## ARTICULUS.

NOVUM, Amice Lector, tibi offero de poenitentia articulum, ne nimium distrahi cogaris notulis, & animadversionibus, quas variis secundis, & tertii articuli locis, subjiciendis monere Censores, & ut par certa, ac peritioribus Theologis nostris probata principia, securiorum, ac veram de hominis per poenitentiam reconciliatione, doctrinam proponam, & explicem. Si quæ vero à Lucio nostro asserita, aut falsa, aut minus tuta pronuntio, ne putes, me probe, atque docto viro, fratrique meo dilectissimo detractionem quidpiam voluisse. Moveo enim ad ita scribendum, cum ut. Censuram jussa faciam, tum etiam

indito quoque mihi veritatis amore, ac studio quodam, quo ferri me sentio ad vulgandam, ac omnibus quoad fieri possit explicandam puriorem Ethicam Christianam, ac tutam æternæ salutis viam: Et opiniones, quas noto, non Patris Lucii sunt, sed Lacroixii, Vivæ, Tamburini, Sporerii, aliorumque hujus furfuris Auctorum, quorum ipse opiniones fideliter recenset. Ut autem ad rem veniam, primum de dolore, deinde de confessionis integritate, ac demum de satisfactione disputabo.

I. Ut autem intelligas, quinam, & qualis esse debeat dolor necessarius ad obtinendam pœnitentiam in remissionem peccatorum, operæ pretium duxi perspicue exponere, in quo virtus pœnitentiæ consistat, quæ teste Tridentina Synodo sess. 14. cap. 4. ad impetrandam veniam peccatorum quovis tempore necessaria fuit, & quæ necessariam illam dispositionem constituit, quæ in pœnitente desideratur, ut per absolutionem sacramentalem justificationem obtineat. Est itaque virtus Pœnitentiæ sincera hominis ad Deum conversio, qua peccata commissa detestatur, & odio habet propter Deum, cum gravi animi dolore, & cum firmo proposito deinceps non peccandi, sed malam vitam consuetudinem, corruptosque mores emendandi, & spe veniæ à Dei misericordia consequenda. Dubitari non potest, quin pœnitentia virtus sit proprie dicta: quæ enim divina lege præcipiuntur, ad virtutem proprie dictam pertinent. Nil vero frequentius in sacris literis præcipitur, quam de perpetratis flagitiis pœnitentia. Ezechielis 18. habetur: Convertimini, ait Dominus Deus, & agite pœnitentiam de omnibus iniquitatibus vestris: Matthæi 3. Pœnitentiam agite... facite fructus dignos pœnitentiæ. Et ut alia mittam: Lucæ 6. legitur: Capit Jesus prædicare: & dicere: Agite pœnitentiam. Deinde dolor de peccatis eo modo, & in fine conceptus, ut extrema declinet, nequit non esse virtutis actus, ut inquit S. Thomas 3. part. q. 8. art. 1. qui enim lætatur, cum male fecerit, peccat, ac peccat itidem, qui ita dolent, ut in desperationem se contendant, ut Cain, & Judas. Dolor ergo juxta leges æquitatis, & christianæ moderationis mensuram conceptus, actus virtutis est. Virtus autem hæc non generalis, sed peculiaris est, & revocatur ad justitiam commutantem. Nam pœnitentia dolet de malo commisso, quatenus est offensæ Dei, cujus læsum jus reparare conatur. Violati vero alterius jus compensatio ad justitiam commutantem atinet. Cum vero pro illata Deo injuria ad æqualitatem satisfacere, atque compensare peccator nequeat, cum sit incapax, ac debeat tantum, quantum potest, ac Deus exigit, compensare, ideo à Theologis non pars subjectiva, sed potentialis tantum justitiæ commutantis appellatur.

II. Virtus autem hæc non acquisita est humanis actibus, ut justitia, fortitudo &c. sed gratuito infusa à Deo est, ut sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, & charitas. Hæc enim veritas aperte revelata in Scripturis est. Jerem. 31. dicitur: Convertite me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam: Ezechiel sic Deum loquentem inducit: Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri... & dabo vobis cor carneum... & faciam, ut in præceptis meis ambuletis. Hinc Concilium Tridentinum sess. 6. can. 8. hæc veritatem definiit: Si quis dixerit, sine præveniente Spiritu Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut panitere posse, sicut oportet, ut Dei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Illa enim virtus infusa dicitur, inquit S. Thomas 3. part. quest. 85. art. 5. quam Deus in nobis sine nobis, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus, in primis producit. Ejusmodi est habitus pœnitentiæ, ut à Scripturarum testimoniis constat.

III. Pœnitentia hæc necessaria est necessitate medii, & necessitate divini præcepti, ut ex divinis Scripturis patet; Matth. 4. inquit: Capit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquare enim regnum calorum. Item Lucas 11. 3. Pœnitentiam igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra; Iterum Lucas in Evang. cap. 13. inquit: Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.

Adducta testimonia, & alia plurima, quæ brevitate studio omitto, necessitatem tum medii, tum præcepti evincunt. Nam illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo obtineri finis nequit. Porro æterna salus, quæ est hominis finis, ita à pœnitentia pendet, ut sine ea haberi non possit: Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis. Hanc veritatem definiit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. his verbis: Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui potuissent, ut perveritate abjecta, & emendata, tantam Dei offensam cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Pœnitentia igitur ante omnem legem scriptam fuit peccatoribus necessaria ad salutem, atque adeo necessaria necessitate medii, & quidem intrinseci, cum sit natura sua cum fine conjuncta. Quamobrem Tertulianus lib. de pœnit. cap. 11. Deus potest tot ut tanta delicta humana temeritatis à principio generis humani auspiciata, post condemnationem hominem, post ejectionem paradisi, mortique subiectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset, jam inde in semetipso pœnitentiam dedicasset. Accedit etiam evidens ex ipsa natura lege depromptum argumentum. Nam homo per peccatum fit à Deo aversum, Deum injuria afficit, legis transgressione Deum ipsum contemnit, ac secundum incommutabiles providentiæ, ac justitiæ leges, fit iræ ac divinæ vindictæ obnoxius. Ergo ut Deo reconcilietur, converti per pœnitentiam ad ipsum debet, compensare quantum potest illatam injuriam, sese paratum exhibere ad legem, & Dei voluntatem faciendam, ac punire in semetipso peccatum, per quod divina justitiæ iram, atque vindictam subire oportebat. Idem enim exigunt incommutabiles divinæ providentiæ, & justitiæ leges secundum quas homo, hominisque voluntas divinæ voluntati perfecte subjecta esse debet, ac summum Deo honorem deferre.

IV. Gradus, per quos pervenimus ad pœnitentiæ virtutem, sex à Theologis designantur cum S. Thoma 3. part. q. 85. art. 5. ubi hæc habet: "Discendum, quod de pœnitentia loqui possumus dupliciter. Uno modo quantum ad habitum; & sic immediate à Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamus. Quorum actum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ut. Convertite nos Domine ad te, & convertemur. Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum semetipsum, & non jam propter supplicia. Sextus actus est motus amoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert." Eandem doctrinam confirmat Tridentina Synodus sess. 6. cap. 6. atque facile sacramentum scripturarum oculis comprobamus. Nam Joannis 15. Christus ait: Sine me nihil poteris facere, & cap. 4. Ne-

no potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; quamobrem Concilium Trident. sess. 6. can. 3. ita definiit: Si quis dixerit, sine præveniente Spiritu Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut panitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Dogma itaque catholicum est, veram pœnitentiam à Dei operatione, sive Sancti Spiritus impulsu initium sumere. Secundo huic succedit fidei motus. Ad Hebræos enim 11. Paulus scribit, Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quod inquirentibus se remuneratur sit. Est enim fides virtutum omnium fundamentum, religionis principium, conversionis peccatoris initium, ac prima justificationis radix. Hæc præcedit pœnitentiam, non vero constituit, nec ejusdem pars est, ut perperam commenti sunt Novatores. Fidem sequitur timor servilis: cum enim per fidem Deus exhibetur remunerator bonorum, ac malorum vindex, qui iis paravit æterna supplicia, fide posita, terror in peccatore oritur æternorum suppliciorum, quo terrore utiliter concutitur, ut ait Tridentina Synodus, & à peccatis retrahitur. Timorem hunc non esse malum, sed utilem adversus hæreticos facile demonstramus, nam à superno fidei motu oritur, atque à peccato hominem revocat; quamobrem in sacris literis commendatur, atque præcipitur. Nam Ecclesiastici 1. habetur: Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit justificari. Et Christus Dominus Matthæi 10. vers. 28. hunc timorem præcipit, Time te, inquit, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam. Quartus gradus est motus spei, quam concipimus, dum servili illo timore concussi ad divinam misericordiam confugientes, confidimus Deum nobis, propter Christum propitium fore: qua spe erecti vitam, & mores emendare constituimus. Quintus motus est charitatis, quo peccatum displicet pœnitenti secundum seipsum, & quatenus Dei summe boni offensæ est, vel propter suam turpitudinem, non suppliciorum metu; Sicque Deum tantquam justitiæ fontem diligere incipit, ut loquitur Tridentinum. Pœnitens enim superna illa spe erectus, ad peccati turpitudinem, ac summam Dei bonitatem attendens, peccatum detestatur, quod Dei offensæ est, & ob propitiam turpitudinem, quod ad charitatem pertinet, ut ait S. Thom. 3. part. 15. q. 85. art. 1. ad 5. Atque hinc sextus oritur gradus, qui motus timoris filialis appellatur, quo pœnitens Deum tamquam patrem optimum revereri incipit, atque ob reverentiam erga beneficentissimum parentem offensæ illatæ satisfactionem offert, atque in seipso peccatum punire constituit.

V. Motus isti, quos ex Tridentino, & S. Thoma descripsi, non sunt omnes ita absolute necessarii, ut omnes explicite, & formaliter requirantur, sed positi gratiæ prævenientis motu, qui semper est formaliter necessarius, ceteri in unico formali actu comprehendendi valent. Potest enim unico instanti peccator converti, ut patet in conversione S. Pauli Apostoli. Ideo autem Tridentinum, & S. Thomas post alios patres ejusmodi actus in æconomia pœnitentiæ enumerant, quia juxta consuetum divinæ providentiæ cursum hoc ordine concurrunt ad justificationem. Motus isti veri meriti rationem ad justificationem obtinendam non habent, prout præcedunt justificationem: nam gratia ipsa justificans est principium meriti. Porro motus isti, qui justificationis gratiam præcedunt, sunt dispositiones veluti materiales, quæ nobis consentientibus, & per Dei gratiam operantibus, in animam introducuntur, & iisdem ad justificationis gratiam per merita Christi Jesu obtinendam præparantur. Quæ doctrina traditur à Syn. Trid. sess. 6. cap. 8. his verbis: "Cum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem, & gratis"

hæc verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire; gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur: Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia."

VI. Hactenus de pœnitentiæ virtute hominibus in mortale aliquod peccatum lapsis quovis tempore necessaria, ut ex dictis liquet, atque ex definitione Concilii Tridentini sess. 14. cap. 1. Nunc de pœnitentiæ Sacramento agendum est, quod à Christo Domino institutum est, ut per juridicum Sacerdotis absolutionem homini contrito, & confessio remittantur peccata post baptismum commissa. Singulari hoc beneficio, quo Ecclesiam suam Christus Dominus ornavit, atque munivit, potestatem faciendo Sacerdotibus remittendi per absolutionem sacramentalem peccata, homines peccatores à virtutis pœnitentiæ exercitio non liberantur, sed novo potius titulo, novoque incitamento ad illam exercendam ferventius stimulantur. Tum quia Sacramenta ad perficiendas, non ad infirmandas virtutes destinata sunt; tum quia, hæc peccata beneficia cum sint, homines adstringere debent ad gratum quoque animam ob nova suscepta beneficia exhibendum per ferventius virtutis exercitium; tum demum, quia, cum in pœnitentiæ Sacramento ad alios virtutis actus, per quos homo ad reconciliationem disponitur, addita sit peccatorum confessio, quæ affectu verecundiæ, atque confusione inde orta, plurimum confert ad detestationem peccati, facile intelligere est, Christum Dominum voluisse, ut institutum à se Sacramentum pœnitentiæ novos stimulos afferret ad detestanda peccata, ac ferventius exercendam pœnitentiæ virtutem. Sacramentum ergo pœnitentiæ institutum à Christo Domino fuit ad fovendam, perficiendamque virtutem pœnitentiæ, non vero ad attenuandam, & ad supplementum per virtutem clavium perfectæ contritionis defectum. Audiantur verba Catechismi Concilii Tridentini part. 2. de pœnitentiâ §. 46. Ut enim hoc concedamus, inquit, Contritione peccata deleri; quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, intentam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? Hæc est contritio charitate perfecta, qua justificatur peccator absque actuali Sacramenti susceptione, cum solo illius voto. De imperfecta vero subdit: At quoniam pauci admodum ad hunc gradum perveniunt, fiebat etiam, ut à paucissimis hæc via peccatorum veniæ speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliore ratione communi hominum rationi consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni caelestis Ecclesiæ tradidit. Etenim ex Fidei Catholicæ doctrina, omnibus credendum, & constanter affirmandum est: Si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat simulque imposterum non peccare constituat, & si hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, et tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelerata omnia remittit, ac condonari: ut merito à sanctis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ clavibus aditum in Calum aperiri, de quo nemini dubitare fas est, cum Florent. Conc. decretum legamus, Pœnitentiæ effectum esse absolutionem à peccatis. Vides ergo, Sacramentum pœnitentiæ fovete, atque perficere virtutem, atque virtutis conatus augere potius, quam infirmare debere; in eo vero ipsius beneficium repositum esse, ut ve-

hementis, acris, intensæque contritionis defectum suppleat, conferendo absolutiōnis beneficio justificationem etiam illi, qui non vehementem, acrem, & intensam, sed remissam, & imperfectam contritionem habet: Hac ratione faciliorem reddit communitati credentium remissionem peccatorum, cum valde difficile sit vehementem, acrem, intensumque illum contritionis motum concipere, quo extra Sacramentum homines iustificentur. Hac nota, ac fusius explicata sunt, ut videas, quàm inepte philosophentur, qui pro extollenda clavium virtute, ac efficacia Sacramenti, obligationem ineundæ penitentia ita in peccatoribus minuunt, ut disponi illum posse credant ad absolutiōnem recipiendam sine ullo divini amoris actu, quo se à creaturis aversi, & conversi ad Deum profiteantur.

21 VII. Sacramentum penitentia suam, ut Sacramentum reliqua, materiam habet. Hac vero duplex est, remota, & proxima. Materia remota sunt peccata detestanda, & destruenda: Nam sicut ligna ignis materiam dicimus, quia igni consumenda subjiciuntur, ita Theologi peccata, quæ clavium virtuti, ac penitentia Sacramento supponunt, ut deleantur, materiam Sacramenti penitentia appellant. Peccata vero, quæ post Baptismum committuntur, proprie materiam Sacramenti Penitentia constituunt; Mortalia materiam necessariam, venialia vero materiam tantum sufficientem, cum absque confessione Sacramentali, aut ejus voto, atque Sacerdotis absolute remitti possint. Media autem, quibus remissio peccatorum venialium confertur, sunt fervor charitatis, Sacramenta vivorum, & Sacramentalia, quatenus sint cum motu detestationis peccatorum conjuncta, ut confessio generalis, tunsio peccatoris, & oratio Dominica: vel cum motu reverentia in Deum, resque divinas, ut benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, Oratio in Ecclesia consecrata, & alia hujusmodi. Dixi cum detestatione peccatorum conjuncta, quia remitti nunquam possunt peccata etiam venialia, quamdiu voluntas illis adhæret; quamobrem ait S. Thomas, ne Martyrium quidem venialia peccata delere; *Si actualiter voluntatem peccato invenierit inherentem*. Sacramentalia ergo, ac vivorum Sacramenta ad venialium remissionem conducunt, quatenus *Inclinat*, inquit idem Doctor Angelicus, *animam ad motum Penitentia, qui est detestatio peccatorum, vel implicite, vel explicitè*.

22 VIII. Materia proxima hujus Sacramenti vocantur actus penitentis, per quos delenda peccata subjiciuntur potestati Clavium, ac satisfactione puniuntur. Sunt autem hujusmodi actus, cordis contritio, oris confessio, atque operis satisfactio. Primum de contritione, deinceps de confessione, ac demum de satisfactione dicemus. Hic tamen obiter notare juvat, tres antedictos actus, à Florentina Synodo non materiam, sed *quasi materiam* appellari, quia Scotista aliique Theologi, ac viri gravissimi, ajunt quidem, tres illos actus necessario in Sacramento penitentia requiri, ut Sacramentum ex effectu sit integrum, sive esse materiam, circa quam proxime, & objective penitentia occupatur; sed negant ad integritatem substantialem pertinere, ad intrinsecum Sacramentum ipsum componi re; Doctor enim Subtilis in 4. *distinct.* 14. q. 3. & *dir.* 16. q. 1. hujus Sacramenti essentiam in sola absolute reponit, itaut, quatenus ritus sensibilis est, pro materia, quatenus vero remissionem peccatorum significat, haberi pro forma debeat. Neque opinio hæc fuit unquam ab Ecclesia improbat, aut censura ulla notari potest.

23 IX. Contritio, inquit *Trid. Syn. ses.* 14. cap. 4. quæ primum locum inter actus penitentis habet. Animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso; cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam

peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapsio, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divina misericordia, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur S. Synodus, hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere. Pende quæso Concilii declarationem! Ait, contritionem, quæ necessaria est ad præparandum hominem in Sacramento penitentia ad remissionem peccatorum, detestationem peccatorum, propositum non peccandi, sive novæ vitæ propositum, & inchoationem continere, atque exprimere. Vide ergo 1. num sustineri possit illa Probabilistarum opinio, quæ ait, non requiri in penitente propositum expressum de non peccando de cetero; sed implicitum sufficere, illud scilicet, quod dolor ipse, ac detestatio peccatorum in se involvit. Nam Concilium duo hæc expresse postulat, ut penitentis detestetur peccatum & propositum habeat non peccandi de cetero; cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum. Satis ergo superque declarat, necessariam in penitente esse expressam detestationem, ac expressum quoque propositum non peccandi de cetero, quod novæ vitæ inchoationem continet Concilii ergo menti repugnat benigna illa Casuistarum opinio, quæ solum implicitum propositum sufficere affirmat. 2. Num novæ vitæ propositum, & inchoatio haberi possit sine ullo Dei amore, sine ullo caritatis initio? Cum enim caritas, & amor Dei vitæ hominis spiritualis sit, cujus privatio non spiritualis hominis nuncupatur, non videtur hominem penitentem non inchoare posse vitam, quin aliquem in se Deum amorem, atque caritatis initium habeat; & quin primum omnium maximum Dei mandatum servare incipiat. Sed de iis paulo infra.

X. Contritio, ab eodem Concilio *cap. citato*, dividitur in perfectam, & imperfectam. Perfectam vocat, quæ ex caritate perfecta concipitur, quæ et si hominem Deo reconciliat priusquam etiam hoc Sacramentum actu suscipiat, declarat tamen reconciliationem ipsi contritionis sine Sacramenti voto non esse adscribendam; imperfectam vero, quæ attritio dicitur, eam, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu communiter concipitur. Hæc, si voluntatem peccandi excludat, cum spe venia, non solum non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem, sed etiam donum Dei est, & Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adjutus, viam sibi ad Justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Penitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentia impetrandam disponit. Ad imperfectam contritionem, sive attritionem quod attinet, observata necesse est primum, attritionem naturalem, id est, quam rationes mere naturales excitant, & quæ solis naturæ viribus concipitur, non sufficere, etiam cum Sacramento Penitentia, ad hominem Deo reconciliandum; opposita enim opinio damnata fuit ab Innocentio XI. Deinde nequidem attritionem illam sufficere, qua quis dolent de peccato, quatenus offensa Dei &c. si peccandi voluntatem, & peccati affectum non excludat, attritio enim necessaria ad reconciliandum hominem in Sacramento Penitentia, detestationem secum ferre debet de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, ac vitæ veteris odium, & vitæ novæ propositum, & inchoationem: ubi vero peccandi voluntas, & peccati affectus non excludatur, verum non peccandi propositum deest, verum peccati odium desideratur, nec effectus propositum adest, neque effectus novæ vitæ inchoatio, ut considerari patet. Denique observare est, attritionem ex tur-

pituidinis peccati consideratione, atque ex gehennæ, & poenarum metu conceptam, utilem esse, atque ad justificationem disponere, ut est à Concilio Tridentino adversus Lutheranos definitum. Idque constat etiam ex iis, quæ supra nos de timore disputamus. Ad aliud est, utilem esse, atque disponere ad justificationem, & alium sufficientem esse. Nam fides utilis sane est, atque disponit, sola vero non sufficit, spes quoque inter utiles dispositiones recensetur; sed nec hæc etiam cum fide conjuncta sufficit. Et si ergo dolor ex metu illo conceptus utilis sit, atque disponat, non inde perspicue sequitur, dolorem hujusmodi cum ipsa fide, & spe conjunctum sufficientem esse ad hominem Deo reconciliandum in Sacramento. Quamobrem jure meritoque disputant Theologi, num attritio necessaria Sacramento Penitentia sine Dei amore saltem inchoato, sufficiens sit ad justificationem obtinendam.

32 XI. Supervacaneum autem existimo disputare, num in Sacramento requiratur contritio perfecta, falsam enim opinionem id asserentem communiter omnes Theologi existimant. At neque in Concilio Tridentino, neque alio Ecclesiæ decreto hæc sententia proscribitur unquam fuit. Præsertim sententiam gravissimi Theologi ante Concilium Tridentinum propugnavit Hugo à S. Victore *lib. 2. de Sacram. part. 14. c. 8.* Richardus Victorinus *lib. de potest. absolvend. c. 7.* Robertus Pullus *de Sacram. part. 5. cap. 13.* Innocentius III. in *Pr. 2. panit.* Guilielmus Antisiodorensis 5. in *Sum. Albertus Magnus in 4. sent. dist. 17. & 18.* Alexander Alensis *part. 4. Sum. q. 8. memb. 1.* S. Raymundus *lib. 3. de panit. §. 8.* Vincentius Bellocensis *lib. 8. specul. Hist. c. 43.* S. Bonaventura in 4. *dist. 18. part. 1. art. 2. q. 1.* S. Bernardinus Senensis *tom. 2. Serm. 27. de confess. Gabriel Biel in 4. dist. 14. q. 11. art. 2.* Alphonsus Tostatus *cap. 5. Defensorii*, Guilielmus Pepinensis *serm. 5. in Cena Domini*, inquit: *Regula generalis Theologorum est, quod Confessor neminem debet absolovere, quem non credit verisimiliter à Deo absolutum.* Nemo Theologorum tribus integris seculis ante Tridentinum notis hæresis huic sententia impigit, neque in Concilio Lateranensi IV. Lugdunensi II. Viennensi, Constantiensi, Basiliensi, Florentino de eadem querela aliqua mota fuit. Immo nec ipsum Concilium Tridentinum aliquam in eadem censuram tulit, ut testatur Cardinalis Pallavicinus *lib. 4. hist. cap. 10.* atque gravissimi Theologi, qui eodem Concilio interfuerunt, Andreas Vega *lib. 13. in Conc. Trident. cap. 33.* Richardus Tapperus, ut colligitur ex historia *Conc. Trident. lib. 12. cap. 10.* Dominicus Soto in 4. *dist. 18. quest. 3. art. 2.* Relata sententia de perfecta contritione, & quæ culpam deleat, non ita facile cum potestate clavium componi valet, quamvis hæc duo varis viis consociare illius Auctores studeant. Idcirco omnes Theologi jure nunc sententiam rejiciunt, non quod sit ab Ecclesia peculiariter decreto proscribita; sed quia reipsa falsa est, & clavium potestati derogare videtur; Si plura hæc de re cupis, legas P. Doin *tom. 2. lib. 2. cap. 3.*

35 XII. Hæc præmittenda duximus, ut facilius Lectores intelligant, quænam cavenda, ac aliqua reprehensione digna habeantur in 1. & 3. articulo de penitentia; Itaque n. 13. *secundi art.* exponitur atque probatur eorum opinio, qui cum Lacroixio, aliisque benignioribus Theologis teneant, *sufficere in penitentia dolorem de peccatis ob metum poenarum temporalium, ut à Deo immittarum, vel immittere daturum*; qui ergo de peccato eam unice de casu doleat, quia timet, vel morbum gallicum, vel carcerem, vel famem, vel infamiam, vel gravem infirmitatem, quam peccati causa à Deo inflictam, vel infligendam credat, satis superque operatus est ad obtinendam in Sacramento Penitentia justificationem. Ita ne, mi Lacroix, fideles penitentes instruendo, ex-

tas! Nihil aliud ab homine exopes, qui ad peccata manifestatur accedat? At Innocentii XI. decreto sancitum est, non licere, ubi de valore Sacramenti agitur, sequi opinionem probabilem, aut etiam probabilissimam, relicta tutiore. Igitur cum te fatente probabilitatis lineam non excedat asserio de sufficientia hujus timoris, ut Pontificio decreto obsequaris, cogaris obligare penitentem ad novum, & perfectiorem dolorem concipiendum. Sed quid, si levissima etiam sit probabilitas? Nam graviores Theologi opinionem istam pro laxa, atque falsa omnino habent. Et quidem jure atque merito ita opinari videntur. Primum, quia Concilium Tridentinum, utilem attritionem describens ex metu poenarum conceptam, ait *ex gehennæ, & poenarum metu*. Alias ergo poenas cum gehenna conjungit, hoc est, cum poena æterna, quæ propria peccati moralis poena est, quæque per fidem unice proponitur, non vero per sensum, perque rerum sensibilibus amorem, quo ad aversanda, & timenda mala temporalia trahimur. Deinde Concilium Tridentinum dolorem disponentem ad justificationem in Sacramento esse supernaturali motivo, atque ex superno Sancti Spiritus impulsu, concipi oportere declarat. Superius vero Divini Spiritus impulsus, hominem à terrenis, & temporalibus retrahit, atque ad celestia & æterna vocat, & dirigit. Id adeo certum est, ut in controversiam revocari nequeat. Dum ergo homo detestando peccatum, sistat in timore, vel carceris, vel infamiae vel morbi gallici, ut etiam temporariae mortis, qua se à Deo puniunt iri metuat, dubitari prædentur poterit, timorem illum non esse ex impulsu supernæ gratiæ, sed ex proprio potius, & humano illo amore, quo natura hominis impetu quodam mala hæc refugit, & aversatur. Atque hæc nostra conjectura consona est Christi Domini sententia, qui Matthæi 10. utilem Discipulis suis timorem demonstrans, inquit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.* Monet itaque Servator noster, ne timorem illum concipiamus, & foveamus, qui pro objecto habeat mala temporalia, quorum mors extremum est, sed illum tantum, quo à gehenna, & æterna poena retrahimur. Quorsum vero hoc, nisi quia timor illæ infirmæ semper, aut ferme semper humanitatis est motus: hic vero superni illius Spiritus, qui per fidem æternas poenas demonstrat, & quo ad celestia, & æterna dirigimur? Et sane debita peccato mortali poena æterna est, non temporaria; qua de causa apposite Concilium Tridentinum poenarum cum metu gehennam copulavit; scilicet, ut intelligeremus, primum hominis peccatoris objectum timoris, æternas esse poenas, poenas vero reliquas, veluti illius consecutaria. Non deficeat utilem esse posse hujusmodi timorem, cum retrahere aliquo modo hominem à peccato possit, ac excitare illum ad æternas poenas considerandas, quarum timore intimius, atque validius concutitur. Sed hunc tantum timorem sufficere, probare nullo modo possumus. Distinguat ergo Lucius inter *utilem, & sufficientem*, non enim quæcumque utilis subest, sufficiens ad justificationem obtinendam. Nec ad rem facit Ninivitarum, & quod ipse affert, exemplum: si enim utiliter timore concussi dicuntur à Concilio Tridentino; sed quis dicit, timorem tantum poenæ temporalis concepisse, cum Jonas civitatis exterminium, mortem, ac divinam illi minitatus fuerit vindictam, & eum ex iis concepto timore utiliter concussi fuerint? Videndum etiam, qua ratione utiliter concussi fuerint. Non alla sane ratione, nisi quia ex hujusmodi timore moti sunt ad considerandam divinam misericordiam, in qua spes venia collocaverunt, & ad considerandam divinam justitiam, cujus deinceps amore conversi sunt de via sua mala, hoc

hoc est, facti sunt aversi à creatura, & conversi ad Creatorem, qua unice via obinere tunc poterant justificationem. Accedit etiam, quod de Ninivitis legitur: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala* &c. Deus porro nullam rationem habet operum in ordine ad justificationem, nisi procedant ex fide, quæ per dilectionem operatur. Ut enim ait S. Aug. *serm. 88. alias 50. è Verbis Domini. c. 2. Adde charitatem, prosunt omnia, detrabe charitatem, nihil prosunt cetera.*

37 XIII. Non solum dolorem ob metum pœnæ temporariae insufficientem habemus ad justificationem obtinendam; sed dubitamus etiam de sufficientia doloris ex solo metu gehennæ concepti aut ex turpitudinis peccati consideratione, si initialis ille amor non accedat, quo homo aversus à peccato & creatura, & conversus ad Deum esse incipiat, ex quo novam illam vitam inchoet, quam à Tridentina Synodo commemoratam diximus. Et cum in Sacramentis conficiendis tutam sectam tenemus viam postulatam Innocentii XI. decretum, contendimus, teneri Confessarios ad hortandos pœnitentes, ut conentur ex aliquo saltem initiali Dei amore dolorem de peccatis concipere. Si opinio hæc asserens probabilis sit, nemo dubitat ad id teneri. Quid vero, si probabilior quæ sit? At ita se res habent, ut facile quisque intelligat, dum serio attendat ad vera, atque solida Theologiæ principia. Nos hic pauca primum dicemus de servili timore gehennæ, ac de dolore ex turpitudinis peccati consideratione; deinde de initialis amoris necessitate.

38 XIV. Jam diximus, servilem gehennæ timorem bonum, atque utilem esse motum, quo scilicet homines utiliter concutiuntur, ac retrahuntur à peccatis. Ostendendum nunc est, utilem hujusmodi timorem ad justificandum hominem cum Sacramento neutiquam sufficere. Id autem ostenditur primo, quia nova est, nec duobus seculis vetustior doctrina, quæ asserit sufficientem esse hujusmodi timorem, ut docet Benedictus XIV. *de synodo diocesana lib. 7. cap. 13. n. 6. inquit. Quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam satis esse contritionem imperfectam, quam jam tum attritionem nuncupabant; attritionis tamen nomine nunquam dolorem intellexerunt de peccatis aliunde excitatum, quàm ex motivo charitatis, seu omnino seipsum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolæ Dei. Si nova est in Theologia doctrina de sufficientia timoris servilis; ergo suspecta, & minus tuta; cum vera doctrina sit ea, quam per manum Patrum ex Apostolis à Christo Domino deducimus, Ecclesia, atque antiquiores Theologi acceperunt. Deinde dolor disponens ad justificationem à Concilio Tridentino loco supra citato debet excludere voluntatem peccandi; cum voluntate enim peccandi vera virtus pœnitentiæ consistere nequit; at qui dolor ex metu gehennæ, sive gehennæ timor, quod idem est, voluntatem peccandi non excludit; timor enim, ut pluries docuit Augustinus, ac alii tradidere Patres, manum cohibet, non animum. En verba Augustini Concione 25, in psalm. 118. Timor, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando operatur impunitas. Similia habent Gregorius Magnus in lib. Moral. cap. 27. atque alibi, S. Bernardus Epist. 11. alique Patres. Ex Theologis sufficientes S. Thomas, & S. Bonaventura; Doctor enim Angelicus 2. 2. q. 19. art. 9. ait: Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus S. licet sit à Spiritu S. quia, ut Augustinus dicit in lib. de natura, & gratia cap. 57. potest habere alienam voluntatem peccandi; dona autem Spiritus S. non possunt esse cum voluntate peccandi,*

206

quia non sunt sine charitate: S. Bonaventura 3. Sententiarum dist. 34. quest. 1. de timore num. 59. affirmat, metu suppliciorum æternorum, & Divinae justitiæ, hominem cessare à peccatorum perpetratione, sed non omnino à voluntate, & q. 2. num. 65. expresse ait: manere voluntatem peccandi in habitu & radice in eo, qui à peccato abstineat ob timorem pœnæ. Timor ergo hujusmodi voluntatem peccandi non excludit. Denique dolor, quo homo ad pœnitentiam, & justificationem preparatur, cordis conversionem secum ferre debet: ut enim per peccatum fit homo aversus à Deo, & conversus ad creaturam, ita per pœnitentiam aversus à peccato, & à creatura fieri debet, & conversus ad Deum: Offensa peccati naturalis, inquit S. Thom. 3. p. q. 86. art. 2. procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa à Deo per conversionem ad aliquid bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem Divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ac converatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ, & proposito emendandi. Atqui conversio hæc solo timore gehennæ fieri non potest, tum quia conversio hæc debet esse motus contrarius conversioni ad creaturam; motus autem huic conversioni contrarius non est nisi conversio ad Deum per amorem: hinc S. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 72. Mens nostra, inquit, debite ad Deum converti non potest sine charitate. Tum etiam quia non habetur vera ad Deum conversio, quia illi restituitur, quod per injuriam ablatum fuit. Itaque cum homo peccatum debuit Deo amorem creaturis tribuerit, manifestum est, non posse ad reconciliationem disponi, nisi averterendo se à creaturis, ac se convertendo per amorem ad ipsum Deum. Et sane periculosa res videtur, hominem, qui peccavit, detrahendo Deo debitum amorem, reconciliationem cum eo per pœnitentiam exposcere, & ne quidem amoris initium reddere eidem oportere. Tum demum quia impossibile est, converti hominem ad Deum posse, quando in ipso homine prædominans creaturæ amor incalcescat: hic enim amor malus cum sit, nequit cum vera ad Deum conversione componi; & cum hujusmodi conversio aliquando à creatura aversionem, & debitam humane voluntatis Deo subjectionem secum ferre debeat, manifestum est, cum prædominante sui ipsius amore conciliari in homine non posse: atqui quando ex solo gehennæ metu homo de peccato dolet, in se ipso creaturæ, ac sui ipsius prædominante amore gerit; nam sine amore, qui vita cordis est, esse homo non potest, ut Auctor libri de substantia dilectionis, & S. Fulgentius lib. 1. ad Monim. aperte tradunt. Ergo cum in homine amor Dei non statuat, necesse est, ut Creaturæ amor prævaleat. Et sane, undenam metus mali in homine oritur, nisi ex prædominante sui ipsius amore, quo quicquid ei malum exhibeatur, aversatur, & fugit? Ex quo apparet, hominem per timorem retrahi potius à Deo, quàm eidem per debitam obedientiam subijci, ac per actum voluntatis ad ipsum converti. Opus ergo est dilectione aliqua, qua amare incipiat Divinam bonitatem, atque Justitiam, ut homo ad Deum conversus dicatur. Audit ergo Lucius noster Alexandri Alensem, qui in 4. q. 17. art. 6. hæc de servili timore habet: Dico, quod timor est principium remorum (pœnitentiæ) quia ex hoc quod panem timet, desistit ab actione peccati, sed nondum justificatur. Sed post incipit (pœnitens) moveri in Deum per amorem, & sic timor est principium remorum, amor vero propinquum. Et in Speculo anime: Timor, inquit, semper cum mortali peccato est, scilicet cum quis dimittit peccatum facere solvendo ratione pœnæ. Et in libro de 7. donis, Spiritus S. c. 1. Timor servilis non mutat voluntatem in bonum, licet criminis impediat executionem. Disponit

nit itaque timor, sed non sufficit ad justificationem obtinendam, sicut fides, & spes disponunt, sed non sufficiunt.

42 XV. Venio nunc ad attritionem turpitudine peccati conceptam. Triplex in peccato turpitudine concipitur, 1. in eo consistit, quod peccatum v. g. furti res sit humana societate probrosa, & ignominia plena: 2. Peccato ipsi intima est in quantum peccatum naturæ difforme est; & honestati, ac rationi, animæque nostræ pulchritudini contrarium; atque ita furtum turpe sua natura est. 3. Denique peccati turpitudine in oppositione consistit peccati cum justitia, & sanctitate Dei; dubitari enim non potest, quinturpe sit, quod Dei sanctitati ejusque æternæ legi contrarium est. Jam vero, si quis de peccato doleat, quia sibi, propriæque existimationi noxium est, non peccatum, sed propriæ famæ jacturam detestatur, & gemit; itaque peccatum ad Deum dici nequit. Item qui peccatum detestatur, quia honestati repugnat, ac propriæ animæ pulchritudinem deformat, neque alio altiori motivo de peccatis iniquitatibus affligitur; is constituit in se ipso finem suum, ideoque vere pœnitens dici nequit: immo novum peccatis suis superbie crimen addit. Audi Augustinum lib. 5. de Civit. Dei cap. 20. Cum anima, inquit, in se delectatur, nondum re incommutabili delectatur: & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum Superior sit Deus. Superest ergo, ut solus ille dolor vere ad justificationem in Sacramento obtinendum disponat, qui ex turpitudinis peccati consideratione concipitur, quatenus Deo fonti sanctitatis infinitæ displicet, ejusque incommutabili justitiæ contrarium est. Non potest vero hic dolor esse sine aliquo Dei amore, immo ex amore ipso velut ex causa, ac principio nascitur: quod erit ex iis, quæ dicenda superius, certissimum.

43 XVI. Contritio ergo imperfecta, sive attritio, quæ hominem proxime disponit ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, amorem Dei, sive charitatem initialem, qua Deum diligere incipiat veluti omnis justitiæ fontem, necessarie ferre secum debet. Ne à sodalium meorum doctrina recessisse videar, præter Alensem, & S. Bonaventuræ auctoritates supra recensitas, in medium hoc afferre duxi, primum S. Bernardini Senensis, deinde Doctoris Subtilis sententias. Ille itaque ait: Qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui, ut si cessaret damnatio ex propria culpa, cessaret & contritio illa. Licet ad veram contritionem concurrat dolor humilium, debet tamen concurrere amor inflammans, unde, etsi in peccatore incipit timor pœnæ; superveniens tamen amor talem timorem debet repellere. Scotus vero in 4. Sentent. dist. 18. Contritio ad hoc ut sit dispositio ex congruo ad receptionem gratiæ, oportet quod sit voluntaria & detestatio; & debita circumstantia finis; quod homo pœnitat; non solum propter timorem pœnæ, sed timore filiali. Si timor non sit cum amore, non disponit ex congruo. Et ibidem dist. 20. q. unica, inquit: Ad hoc, quod displicentia valeat, & sit ordinata, oportet quod sit debite circumstantiata, & maxime circumstantia finis, & principii activi principalis: ut scilicet sit voluntaria propter Deum, oportet non solum timere judicem, sed diligere: ut enim dolere possit commissa, (judex Deus) arbitrari libertatem querit, non necessitatem; charitatem, non timorem. In hac opinionem propensos fuisse Tridentinos Patres, facile patet; licet enim controversiam hanc definire noluerint, ut habemus ex ejusdem Concilii historia, tamen preferre voluisse videmus opinionem adstruentem necessariam esse aliquam Dei dilectionem, ut homines proxime ad justificationem disponantur; & habent enim

sess. 6. c. 6. homines adultos justificari. Dum peccatores se esse intelligentes à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur ad versus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. Si hæc desiderantur in baptismo, quantum magis in pœnitentia, quæ à Tridentinis laboriosus baptismus nuncupatur? Atque hinc apparet, injuria Auctorem bibliothecæ, n. 14. secundum articuli concludere ex Tridentino, sufficientem esse timorem servilem in Sacramento Pœnitentiæ, quia Patres dixerant, per hunc peccatorem utiliter concuti. Qua enim ratione utiliter concutiatur, expositis Concilii verbis declaratur. Fides Deum veluti supremum Judicem exhibet peccatori, qui per æterna supplicia puniri velit homines lethali culpa gravatos: hæc representatio timorem in homine excitat suppliciorum, per quem à peccato eorumdem causa retrahitur, & qui amorem in homine excitat concupiscentiæ quo Deum sibi propitium, ac bonum fore optat; tum spes sequitur, quæ amor concupiscentiæ, sive desiderio antedicto juxta doctrinam S. Thomæ 1. 2. q. 35. art. 1. addit quemdam conatum, & quamdam elevationem animi ad consequendum bonum arduum, quo sensu Concilium dixit, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: elevato denique in spem animo, Deus summe bonus, & summe justus exhibetur, quo fit, ut contritus homo diligere Divinam bonitatem, & justitiam incipiat, Deum nempe veluti totius rectitudinis, sive justitiæ fontem, & hujusmodi amor est novæ illæ vitæ inchoatio, de qua Tridentinum loquitur, & efficac novæ vitæ propositum, quod consistere in homine sine Dei summe boni dilectione non potest.

45 XVII. Ex his facile liquet, quàm æqua sit censura Cleri Gallicani, dum hanc propositionem prospexit in Comitibus Generalibus anno 1700. celebratis: Attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta, & supernaturalis est. Ait enim. Hæc propositio, qua à dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit; deinde veto suam doctrinam ita explicat: Post absolutam propositionem censuram, supersunt quedam pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipsis principiis in apertam lucem deducenda.

Et quidem de dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, nec necessariam doctrinam omittimus, hæc duo in primis ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda, & docenda esse diximus.

Primum, ne quis putet, in utroque Sacramento requiri, ut præviam contritionem, eam quæ sit charitate perfecta, antequam actu suscipiatur, hominemque Deo reconciliet; alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidem & spei actus, non incipiat diligere Deum; tamquam omnis justitiæ fontem.

Neque vero satis adimpleri potest utriusque Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandæ mandata divina propositum, si pœnitens primi, ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opulante gratia, sese exciet, ac provocet.

Placet etiam coveri à Sacramenti Pœnitentiæ ministris, ne in hoc pœnitentiæ Sacramento, aliis

207